

ipsa flumina, liquatæ nives, idque circa Canis ortum; nec, quum maxime intumuit, tam naviis est infestus, quam agris: quo fit, ut perpetuo accolaram labore utrimque coerceatur ageribus; in eo satis vicinis campis æquus, quod nihil è rapto sibi vendicat. Ostia ejus septem hæc sunt: Primum fossa est Augusta, quæ Ravennam dicit, ubi Padusa vocatur, quondam Messanicus appellatus, hodie *Canale di S. Alberto* nominatur, quia initium ejus est ad S. Alberti vicum, Padi Animonisque confluentibus adpositum, & alio nomine *Il Canal del Navilio*, id est *Fossa Navicularis*, quia jam olim hac navigare solebant iter facientes Ravenna Altinum versus. Extenditur hæc fossa in xii millia passuum, stagnans, vadosa, arta. Secundum inde ostium magnitudinem portus habet, qui *Vatrema* dicitur, ab illabente in Padum Vatrema amne, quo Claudius Cæsar ex Britannia triumphans, prægrandi illa domo verius, quā navi, intravit Adriam. Ante Eridanum ostium dictum fuit, aliis Spineticum ab urbe Spina, vulgo nunc accolis dicitur *Porto di Primaro*, ob veterem ejus dignitatem, licet ipse alveus jam tenuis & exiguis redditus sit, postquam magna vis aquarum in Fossiones Philistinas divertit. Tertium inde *Caprasia*, hodie *Magna Vacca* Blondo & Leandro, à diversorio publico juxta sito, nomine *Magna Vacca*, dissentiente P. Cluverio, qui ostium magnæ Vaccæ Sagin esse credit. Quartum ostium Plinio est *Sagis*, vel, uti Itineraria habet tabula, *Sacis*. Verum Sagis & Caprasiarum alvei, ea ratione maxima ex parte aboliti sunt, quod Padi maximus impetus postea in Philistinam fossam eruperit, stagnis etiam Comaclensibus ea loca inundantibus. Quintum est *Volanes* ostium, quod ante *Olane* vocabatur, nunc *il porto di Volana*. Sextum Plinio vocatur *Carbonaria fossa*, quæ inter Volanam & fossiones Philistinas nulla alia esse potest, quam is alveus, qui à Pado magno, sive, ut olim vocabatur, à fossa Philistina, juxta vicum, cui vulgare vocabulum Papozze, ad dextram divertens, vulgo nunc vocatur *Il Po d' Ariano*, à vico ei imposito; ostium autem ejus *Il porto di Goro*, itidem à vico juxta sito. Septimum ostium sunt *Fossiones Philistina*, & alio nomine dicitur *Tartarum*, quia proprium erat Tartari amnis ostium. Certe meminit Tartari fluminis Tacitus Histor. lib. 3, his verbis: *Cæcina inter Ho-*

*stiliam, vicum Veronensem, & paludes Tartari fluminis castra permuniit. Id nominis hodie que amnem retinere, vulgo *Tartaro* dictum, ac Ptolemaeo vocari *Arianum*, aliis Hadriam, ostendit cap. 18 in Venetiis Cluverius. Defluit in Padi alveum, qui supra Ferrariam, ad vicum *Stellatam*, à vero Pado ad lœvam divertit, postquam lx circiter millia passuum per ostium, quod vulgo dicitur *Porto delle Fornaci*, in mare effunditur. Polybius Pado duo ostia attribuit, quorum alterum vocat *nædæv*, alterum *Olanam*, quæ duo præcipua ejus fuere antiqua veraque ostia: reliqua quinque posterius accesserunt. Sed illud vocabulum *nædæv* corruptum est à genuino Padosa, si Virgilio, Plinio, Claudio, Servio & Vibio Sequestro credimus. Sic quippe canit Virgilius Æneidos lib. 11,*

*Haud secus atque alto in luce, quum forte catervæ  
Concedere avium: pisco sove amne Paduse,  
Dant sonitum rauci per stagna loquacia cygni.  
Claudianus in epithalamio Palladii & Cele-*

*rinæ:*

*Eridani ripas & rauca stagna Paduse  
Diffugiens nudavit olor.*

*Hæc igitur sunt septem Padi ostia, quæ ob magnitudinem suam aquarumque copiam una cum circumjectis paludibus, septem dicebantur *Maria*. Ita enim Plinius: *Quia largius vomit (Padus scil.) septem dictus est Maria efficere.**

*Idem aurum in eo adnotavit, lib. 33, cap. 4;  
Aurum inventum in nostro orbe tribus modis: flumen ramentis; uti in Tago Hispanie, Pado Italiae, Hebro Thracie, Pactolo Afiae, Gange Indie, nec ullum absolutius est aurum, cursu ipso tritique perpolitum.*

*Fluvios incolas plurimos habet. Plinius, Solinus, aliqui, Padum triginta fluvios in mare Adriaticum deferre produnt. Alii plures numerant. Nos præcipuos recensēbimus; quorum alii ex Apennino, alii ex Alpibus funduntur.*

*Ex Apennino versus dextram Padi ripam celebriores provomuntur, *Tanarus*, *Scrivia*, *Trebia*, *Tarus*, *Parma*, *Lerza*, *Secia*, *Panarus*, *Rhenus*, *Santernus*, *Senius*, & alii: de quibus alibi.*

*Eorum qui ex Alpibus fluunt, primas obtinent, Veteribus etiam plerique celebrati, *Duria Riparia*, *Stura*, *Orcus*, *Duria Balthea*, *Senza*, *Ticinus*, *Lambrus*, *Addua*, *Olius*, *Mincius*, *Tartarus*: quorum descriptiones suo exhibuimus loco.*